

DISSERTATIO POLITICO-MORALIS,
DE

NECESSARIO
ETHICES & PO-
LITICES NEXU,

Quam
SUPREMI NUMINIS AUSPICIO,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

DOMINO
GVILIELMO HENRICO,
DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUM,
ANGARIÆ WESTPHALIÆQUE
& RELIQUA,

Inclyti Ordinis Philosophici Consensu

IN ALMA SALANA

Publico Eruditorum Examine submitte

P R Æ S E S

M. GEORGIUS WEINMANNUS,
CERVIMONTANO-SIL.
RESPONDENTE

JOHANNE CHRISTOPHORO WILCKIO,
Philosophiæ & SS, Theologiæ Studiofo,
Hilpershusia-Franco,
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO
Ad diem Januarij,
Horis ante meridiem consuetis.

ERFORDIÆ Anno à Rep. Sal. MDCCVI.
Prostat apud CHRISTIANUM WEINMANNUM,

21

DISSERTATIO POLITICO MORALI

ES

NECESSARIO ETHICES & PO- LITICES NEVII

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO
S. S. S. S. S.

GAUDEMIO HENRICO

M. GEORGII WIMMANNI

JOHANNIS WICKI

LEONARDI WIMMANNI





SYLLOGE.

PRÆFAT : §. I. Philosophia Practica merito audit Philosophia
 pars nobilissima. §. II. hoc probatur. §. III. Veterum Philo-
 sophorum documentis id magis stabilitur. §. IV. inprimis Se-
 necæ & §. V. Pythagoræ. §. VI. dividitur in duas partes. §.
 VII. Ethica & Politica indivulso nexu sunt connexe, quod in
 Dissertatione presenti pluribus demonstratur. **SECTIO GE-
 NERALIS.** §. I. Ethica & Politica definiuntur. §. II. V. ista-
 rum convenientia ostenditur. **SECTIO SPECIALIS.** §. I.
 Ethicæ & Politicæ necessarius sibiitur nexus. §. II. Ethica
 absq; Politica dicitur imperfecta. §. III. Contra objectionem hæc
 assertio vindicatur. §. IV. Incommoda qua hominem extrin-
 secus premunt felicitatem ejus internam in quovis statu impedire
 evincitur. §. V. Hoc monstratur in Statu Politico, ubi §. VI. nobis
 luculentum præbet exemplum Moses & §. VII. Imp. Carolus V.
 §. VIII. in Statu Ecclesiastico. §. IX. in Statu Oeconomico &
 quidem (1) in Societate Matrimoniali §. X. (2) in Societate
 Paterna & (3) herili §. XI. in quocunq; denique vita genere.
 §. XII. Objectio movetur & destruitur. §. XIII. Politicam
 absque Ethica esse nullam assertitur. §. XIV. verus Politicus de-
 scribitur. §. XV. Prudentia à Politico exigitur, qua quod quatuor
 veluti partibus consistat Ethica cum docet (1) scil. Attentione
 §. XVI. (2) Circumspectione §. XVII. (3) Providentia & §.
 XVIII. (4) Discretionem. §. XIX. XX. Politico necessario injungitur,
 ut hominum animos noscat §. XXI. ad hoc obtinendum jubetur
 in passionem hominum dominantes sollicitè inquirere. §. XXII.
 Hoc ei maximè observandum est, qui Principi aliquid persua-
 dere studet aut dissuadere. §. XXIII. ei item qui servos
 condu.

conducit. §. XXIV. *Artem hominum animos explorandi Princeps probe debet callere, si fideles sibi adjungere vult Ministros.* §. XXV. *imprimis hac arte opus habet, cum legatos ad aliorum Principum Aulas ablegat.* §. XXVI. *Nec minus homines inferioris dignitatis hanc artem rite tenere debent.* §. XXVII. XXVIII. *Hic verò multum eos iuvat, si prius seipsum noscere didicerunt, quam alios noscere cupiunt.*

PRÆFATIO.

§. I.



Vod Philosophia Practica nobilissimam Philosophia constituat partem, nemo negabit, qui modo illius naturam insignemque, quam præstat utilitatem, probe habet perspectam.

§. II.

Hæc enim est, *qua & viam ad veram felicitatem mortalibus pandit, & actiones etiam huc pertinentes dirigit*, (a) ac ita non tantum docet, quomodo homines ad veram felicitatem pervenire queant, sed simul quoque ostendit, qua ratione cemelium istud summum obtinere eoque constanter frui possint.

§. III.

Consentiunt mecum documenta vetustatis scholasticorum ævo sapientioris. Veteres enim Philosophi in definienda Philosophia ad Philosophiam Practicam speciatim moralem omnium maxime attendebant.

§. IV.

Exemplo nobis est Seneca qui Philosophiam appellat (b) *studium emandande mentis, studium virtutis, appetitionem rectæ rationis*, quæ appellationes omnes Philosophiæ

(a) vid. Præceptoris nostri summè venerandi Buddei Elementa Philosophiæ Practicæ Part. I. c. 1. p. m. 4.

(b) Epist. 89.

lofophiæ Practicæ merito competunt, eum enim, qui vere & sedulo ei studuit, omnia & singula, quæ hic de ea prædicantur subsequuntur, mens, inquam, sana, virtus, ratio recta, ita, ut ejusmodi homo omnibus calamitatibus omnibusque pravarum cupiditatum insulstibus quasi murus inexpugnabilis, quem fortuna multis machinis lacessitum non trahit, ut idem Seneca loquitur, (c) quæ certe nulla alia pars Philosophiæ nobis promittere valet.

§. V.

Senecæ adstipulatur ipse quoque Pythagoras, qui Philosophiam vocat *meditationem mortis*, per mortem, autem nil quicquam aliud intelligit, quam mortificationem affectuum, qua quis pravis suis cupiditatibus moritur, quæ veræ sapientiæ obicem pessime ponunt: (d) nunc autem Philosophia Practica hoc habet peculiare & proprium, quod medeatur affectibus hominis, eumque menti restituat sanæ. (e) Adeo ut hoc nomine nobilissimæ totius Philosophiæ disciplinæ titulum omni jure promereatur.

§. VI.

Dissecitur autem quam commodissime in duas partes, Ethicam & prudentiam per eminentiam sic dictam, quæ pars posterior, Prudentia scilicet, ob diversum

A 3

actionum

(c) Epist. 82.

(d) Vid. Clemens Alexandrinus Lib. V. Stromatum, ut & Lipsius in Manuductione ad Philosophiam Stoicam Lib. 2. Dissert. 2. p. 55. & seqq.

(e) Conferatur hic Vincentius Placcius in Commentario de Morali scientia Augenda. pag. 7. 15. 17. seqq. item p. 224. 226. seqq. ubi plus vice simplici Ethicam cum Medicina comparat, eamque tum Græcis tum Latinis Philosophis hac appellatione insignitam fuisse asserit.

actionum humanarum respectum iterum dividitur in prudentiam juris, quæ alias audit jurisprudentia universalis itemque naturalis, & in prudentiam status, quæ alio nomine appellatur Politica. (f)

§. VII.

Hæ duæ partes Ethica putà & Prudentia versantur, circa actiones hominum & hinc quoque fit, ut Ethica & Politica naturali vinculo adeo sint connexæ, ut istæ quidem in docendo possint, imo debeant separari & seorsim tractari, in praxi vero nunquam segregari queant, id quod pluribus in præsentî Dissertatione probabo, quam in duas feci partes, quarum prior Ethicæ & Politicæ convenientiam, posterior autem necessarium earum nexum sistet. Faxit DEUS, ut omnia feliciter succedant, in nominis sui gloriam, proximi atque studiorum nostrorum emolumentum!

SECTIO GENERALIS.

DE

Convenientia Ethicæ & Politicæ.

§. I.

Priusquam ad rem fieret accessus, sobriam terminorū expositionem præmitteremus. Opus foret, nisi isti omnibus satis essent noti. Sumimus enim Ethicam cum summè Venerando Præceptore nostro BUDDEO pro parte *Philosophiæ Practicæ, quæ rationem tradit ad summam felicitatem perveniendi* (g); Politicam vero pro parte *Philosophiæ Practicæ*

(f) vid. Præceptoris nostri summe venerandi Buddei *Elementa Philosophiæ Practicæ* Part. I. p. 3.

(g) Vid. Lib. cit. Part. I. p. 6.

Practica quæ dirigit hominum actiones, prout ad cuiusq[ue] statum rite conservandum pertinent (h), omnem itaque prolixitatem evitaturi statim & quidem paucissimis delineabimus, in quoniam Ethica & Politica inter se conveniant.

S. II.

Convenientia ergo quæ duas has intercedit disciplinas in eo primum conspicitur, quod utraque sit scientia practica. Scientia definitur per habitum demonstrativum, qui omnes suas conclusiones ex certis, firmis & infallibilibus principiis deducit. Idem de Ethica & Politica dici potest, quod sit ejusmodi habitus. Eis enim non desunt principia certa, firma & infallibilia, ex quibus suas conclusiones deducunt, confirmant ac defendunt. Nec video cur quis cum Conringio contrarium statuatur & mihi objiciat, in rebus Politicis non æque dari certitudinem ac in Physicis (i), aut cum Aristotele contentus sit, si cum de *Æ* ex moralibus differat, pingui quadam Minerva (ut ipse loquitur) (k) atq[ue] adumbrata figuratone verum ostendat. Tantum enim abest ut disciplina moralis naturali certitudine cedat, ut potius istam eâ longe superet, quod satis clarum est inde, quia in rebus naturalibus nos maximarum latet notitia & plurimarum principia à nobis nondum sunt explorata; cum contra in moralibus principia adeò sunt manifesta, ut ex illis facili negotio omnes conclusiones morales deduci, confirmari, ac defendi possint (l), v. c. in moralibus datur principium

(h) vid. l. c. Part. III. p. 436.

(i) vid. ejus Tract. de Prudentia Civili Cap. II. X. pag. 141.

(k) Nicomachiorum Lib. I. Cap. I. p. m. 4.

(l) Evolvatur hic *Præceptoris nostri summè venerandi FÖRT.*

SCHII *Commentatio in D. Ambrosij Officia*, p. 313.

um, bonum est faciendum, huic subordinatur, malum est fugiendum, cui propinquum est, bona à malis sunt segreganda, ex his omnes deinceps conclusiones ultimo resolvi possunt, quod haud obscure innuit Seneca, quando scribit: (m) *Natura quicquid nos meliores beatosq. facturum est, in aprico aut in proximo posuit*, quæ verba satis clare indicant, quod in moralibus quædam sint tam clara, ut à quovis statim apprehendantur, quædam autem ita comparata, ut licet primo intuitu nobis videantur obscura & incerta, per principia tamen demonstrari & clariora reddi possint. Politica non minus quam Ethica, certis innititur principiis, quippe quæ hoc pro firmo & infallibili habet, quicquid cuilibet statui conducit, illud est confectandum, contra, quicquid cuilibet statui nocet, illud est omittendum & avertendum.

§. III.

Obijciunt quidam ad scientiam requiri subiectum demonstrationis necessarium, in moralibus verò tale subiectum non semper haberi? Sed hoc dubium ortum est ex falsa hujus vocis interpretatione, siquidem per subiectum demonstrationis necessarium isti intelligunt subiectum demonstrationis necessario existens, cum tamen id non dicatur necessarium ratione existentiae, sed ratione necessariae connexionis, qua prædicatum subiecto cohaeret in ea enunciatione, in qua aliquid de subiecto demonstratur. (n) Exemplo res clarius patebit. Siquis v. c. probare vellet quod adulterium sit illicitum sequenti hoc Syllogismo: Quicquid violat societatem, id repugnat juri

(m) Lib. VII, de Beneficiis Cap. I.

(n) conf. Illustris Puffendorffius de Jure Nat. & Gent. Lib. I, Cap. 2, §. 2. p. m, 22, & seqq.

juri naturæ , & per consequens est peccatum; tunc hic subjectum demonstrationis in propositione minori esset adulterium, quod ratione existentia non est res necessario existens, sed tantum contingens: necessarium tamen dicitur respectu necessaria connexionis, quam in minori enunciatione habet cum prædicato. (o)

§. IV.

Sed porro probandum, quod Ethica & Politica sint scientiæ practica. Hoc vero ex supra dictis aliquo modo jam constare potest. Nam in proœmio statim dixi, utramque circa hominum versari actiones. Quare hic tantum addam, quod Ethica versetur circa hominum actiones, quatenus istæ ad summam hominis felicitatem perfruendam sunt dirigenda & ita spectantur, ut sunt bonæ; Politica autem quatenus sunt dirigenda ad statum conservandum, seu quatenus sunt utiles. Atque sic neutra harum disciplinarum in nuda rerum acquiescit contemplatione, sed ulterius pergit & recta tendit ad praxin, ita ut omnia, quæ in istis docentur, in actum quoque deduci debeant. Et quod alias summus ille Theologus apud Lipsienses B. Scherzerus de Theologia affirmavit, quod omnia & singula, quæ in ea tradantur, sint mera practica, (p) id suo modo quoque de his duabus scientiis, Ethica puta & Politica, dici posse, meo quidem judicio opinor. Multa quidem in illis occurrunt, quæ primo intuitu ad solam contemplationem spectare videntur; praxeos tamen causa sunt & proponuntur, & ita licet non formaliter, virtualiter sal-

B

tem

(o) Conf. Placcius de Morali scientia Augenda Cap. I, pag. 14.

(p) Vid. ejus Systema Theol. Prolegom. §. VIII. p. 3.

tem pro practicis habentur, quia ultimo semper exigunt
praxin, id quod de Ethica bene observatum est Antonio
Ittero, qui dicit (q): *Est multa in Ethicis continentur,*
quæ theoriam magis quam praxim sapere videntur, utpote
doctrina de homine ejusque intellectu & voluntate, prin-
cipiis actionum humanarum: practica tamen omnia, non
theoretica hoc loco sunt, cum non theoretice sed practice
tractentur, hoc est, non propter sterilem cognitionem, sed
fructuosam actionem considerentur. Hac ex causa utra-
que & vocatur Prudentia, seu ut alii loqui amant, scientia
de Prudentia. In eminentiori gradu quidem hæc ap-
pellatio scientiæ juris naturæ & politicæ competit, un-
de & illa dicitur jurisprudentia naturalis, hæc vero pru-
dentia status: Ethicæ tamen ea minime abjudicari pot-
est. Sumo autem prudentiam in eo significato, quo
denotat virtutem, quæ voluntatis sequitur correctionem
& quatuor veluti partibus, attentione, circumspetio-
ne, providentia & discretione absolvitur. (r) Alias qui-
dem prudentia sumitur pro actu itemque pro habitu pra-
ctice ratiocinandi, sed istæ significationes nostræ non ad-
versantur, sed potius in ea continentur & includuntur,
Prouti ergo hæc vox à nobis accipitur, Ethica non mi-
nus, quam Politica audit prudentia, quia quælibet omnia
prudentiæ habet requisita, quod de Politica inprimis in
sequenti sectione demonstrabo pluribus.


S. V.

Tandem quoque harum disciplinarum conve-
nientia elucescit ex fine, quem utraq; habet præfixum,
respi-

(q) In Prolegom. Synopf. Philos. Moralis p. m. 8. 9.

(r) Vid Præceptoris nostri summe venerandi Buddæi Elem.
Philos. Pract. Part. I. cap. IV. p. m. 153.

respicit enim quavis, hominis felicitatem, quamvis in eo videntur discrepare, quod Ethica respectum habet ad hominis felicitatem, quatenus is spectatur in statu naturali extra societatem civilem; Politica vero, quatenus iste consideratur in societate civili constitutus. Et quoniam utraque circa virtutes est occupata, quælibet etiam eo tendit, ut non solum homini ostendat in quo summa, ejus felicitas consistat, sed ad hæc ei quoque suppeditet media eam obtinendi. Nam virtutes sunt via, quæ mortales ad dulcissimam summi boni h. e. DEI possessionem pertingere possunt. Accedit quod etiam impedimenta haud pauca, quæ homini ad felicitatem summam contendenti non raro obtingunt, eumque à felicitatis tramite aberrare faciunt, removeant & quantum in illis est auferant. Atque hoc Ethica cumprimis præstat, cum homini monstrat morbos & imbecillitates, quibus intellectus & voluntas laborant, iisque bonam procurat medelam. Politica non minus hic suum facit officium, dum homini incommoda, quæ eum in quovis statu premunt ob oculos ponit, & simul regulas præscribit, quibus observatis ea omnia facilius superari, evitari & averti queunt. Ne vero, postquam ostendi, quam amice hæc duæ disciplinæ cum se invicem conspirent, diutius quam par est, in generalioribus verser & in limine largius immorer, nunc inoffenso pede ad sectionem magis specialem propero & nexum ipsum Ethices & Politices sisto.



SECTIO SPECIALIS
DE
Necessario Ethices & Politices
NEXU.

§. I.

Ethicam inter & Politicam non secus ac inter matrem & filiam tam arctum intercedit vinculum, ut nullus verear dicere, Ethicam si separet à Politica, esse valde imperfectam; Politicam vero sine Ethica prorsus esse nullam, id quod nunc de utraque singulatim demonstrabo.

§. II.

Quod igitur primam concernit assertionem, qua dixi Ethicam sine Politica esse valde imperfectam, eam inde probo, quia homo in republica beata, h. e. bene constituta & administrata felicitatem intra semetipsum percipit longe majorem, quam in republica, in qua omnia jura & leges subvertuntur & summa imis miscentur. Perquam difficile certo est, ut is interna felicitate perfecte fruatur, quem innumera affligunt mala externa: Nunc autem cum à DEO discessimus, salus reipublice à peritia res publicas prudenter administrandi dependet, ergo hominis felicitati internæ multum decedit, si destituitur felicitate externa, & consequenter Ethica sine Politica valde est imperfecta.

§. III.

Equidem non nego sapientem etiam in tribulationibus, in carcere, in bello aliisque plagis externis aliqua gaudere mentis tranquillitate, longe tamen majorem sensurus esset, si incommoda ista, quibus premittitur
exte-

exterius, ab ipso procul essent remota, quæ vero cum Politica auferat, qui ibet hic statim perspicit, quanto per Ethica opus habeat Politica, & quam inexplicabili vinculo inter sese connectantur hæ duæ disciplinæ.

§. IV.

Res ei haud erit obscura qui modo pensat, quot & quanta hominem undiquaque circumstent incommoda. Certe innumera ferme sunt, quibus iste est obnoxius, & quæ eum tamdiu impediunt, quo minus ad felicitatis culmen ascendat, quamdiu non tolluntur. Ejusmodi mens nunquam est libera, sed usque perturbata variisque curis distenta, id quod in multis conspicitur exemplis.

§. V.

Ponamus Principem qui hostibus externis undiquaque circumdatur, à civibus suis seditiosis & ministris perfidis graviter vexatur, dum horum perfidia ipsi usque ponit insidias, illorum autem pertinacia ruinam, & interitum quotidie minatur, hunc profecto ingentes curæ non deficient, quæ ut vitam agat ærumnis plenam efficiunt, ipsi enim semper est metuendum, ne insultibus hostium externorum succumbat, nec suorum fraudibus supprimatur. Quod si & his calamitatibus superatis eum non minor cura & sollicitudo manet eique non minora pericula in rebus, quas acquisivit, tuendis sunt subeunda, quam in iis acquirendis, ea omnia animum ejus magis ac magis affligunt, illiusque tranquillitati grandem remoram injiciunt, adeo ut multi imperantium de onere ipsis imposto graviter fuerint conquesti, è quibus duo tantum illustria & insignia producam exempla.

§. VI.

Moses à DEO Princeps constitutus pondere populi

B 3

ita

ita premebatur, ut miseriam suam deplorans DEUM al-
loqueretur: *Quare malo affectisti servum tuum? & quare
non inveni gratiam in oculis tuis, quod imposuisti onus
hujus populi totius mihi? an ego concepi totum populum
hunc? an ego peperii illum? quod dicis mihi, exporta eum
in sinu tuo, quemadmodum portat nutritius lactantem, ad
illam terram, quam juramento promissisti majoribus ejus.
Unde mihi esses caro, quam dem toti populo huic? nam stent
adversum me, dicendo, da nobis carnem, ut comedamus,
Non possum ego solus ferre onus totius populi hujus, nam
grave hoc est supra me. Quod si tu sic facturus es
mihi, occide me jam occide, si inveni gratiam in oculis
Tuis, ut ne videam malum meum.* (f) Quæ verba abun-
de testantur, quantum obfuerint internæ Moïsi tranqui-
litate flebiles populi sui querimonix, quas audire cogebatur, ut adeo sit clarum, externam calamitatem rerum-
que perturbationem, internam turbare hominis felici-
tatem.

S. VII.

Moïsi subjungam Gloriosissimum Imperatorem Ro-
manum Carolum V. qui de se ipso fatetur, quod onera,
quæ ipsi imminebant externa, animi sui tranquillitatem
valde minuerint atque sic multum suæ felicitati detraxe-
rint, Unde quoque factum, quod maluerit mori priva-
tus, quod ex ejus verbis notatu sane dignis fat superque
patet, in quæ prorumpebat cum se imperio abdicaret &
in Philippum Filium suum Belgicas transferret Provin-
cias administrandas: *O fili, inquebat, (t) magnum tibi
im-*

(f) Num. XI. vers. II. seqq.

(t) Vid. Adami Conzenii X. Librorum Politicorum lib. 2. c.
2. p. 69. quo cum conf. Schardius Rerum Germanicarum Tom. 2.
pag. 642.

impono onus. Ego enim toto tempore principatus mei nunquam quāquam horā magnis curis & anxietatibus vacuum habui. Sane ubi multa curæ ingentesque ærumnæ extrinsecus hominem invadunt, interna quies quoque perumpitur.

§. VIII.

Nec felicius res geritur in cæteris hominum statibus. Aspiciamus modo doctores in scholis & ecclesiis. In his quidem adhuc multi inveniuntur, qui dies noctesque student felicitati internæ, nihilo secius tamen toto die coguntur experiri, quot & quanta malis externis obstacula ipsis objiciantur, quæ eos impediunt, quominus ea perfecte fruantur. Quamvis enim munere suo masculè fungantur; fructus tamen sui laboris raro ferunt, siquidem sæpissime vident & audiunt, monita eorum in multis auditoribus fuisse irrita, cum pro uvis omphaces, pro præmio calumnias, obrectationes, odia, invidiam ab illis expectare teneantur. Quod si præterea quoque æmulationes, rixæ & pugnæ inter ipsos doctores oriuntur, felicitas interna nisi profus amittitur, saltem tamen valde minuitur, ita ut homo animi sui quiete intra semetipsum tamdiu perfecte frui nequeat, quamdiu externa hæc impedimenta non repellantur.

§. IX.

A docentibus discedimus ad homines in statu œconomico viuentes. His non minus quam aliis hominibus plurima eaque satis gravia externa occurrunt mala, quæ illorum felicitatem internam sufflaminando comprimunt, nisi prudentia avertantur aut minimum temperentur. Quomodo quæso felicitas interna in statu matrimoniali firmiter consistere potest, si altercationes

nes maritum inter & uxorem quotidie intercedunt & lites propemodum innumera ab ipsis feruntur, id quod fit, cum maritus nimis rigorosum in uxorem exercet dominium, & uxor viceversa marito debita recusat prestare officia. Tunc enim passim querula audiuntur voces; felices & nimis felices esse, qui nunquam libertatis suae per matrimonii vinculum fecere iacturam. Quae omnia testantur, externa mala internae quoque nocere felicitati.

§. X.

Ita etiam in societate paterna felicitas interna vacillat, cum Parentes de immorigeris liberis & liberos contra de injustis Parentibus conqueri oportet. Nec minus felicitas societatis herilis vehementer interrumpitur, cum servi perfidia sua, ignavia, petulantia & renitentia dominis suis si non maledicta & verbera, gemitus saltem & flebiles exprimunt querelas, & domini ex adverso servos supra modum oneribus onerant, dum plus laboris ab ipsis exigunt, quam praestare possunt. Certe ubi servi ita defatigantur negotiis, ut illis nullum pene orandi DEUMque colendi relinquatur tempus, ibi magnum illorum felicitati objicitur impedimentum. Etenim experientia quotidiana est testis, quod ingens servorum numerus haud raro suum ignoret creatorem, redemptorem & sanctificatorem, quae ignorantia magnam, imo maximam innuit miseriam. Nam ut DEUM scire & sentire summa est felicitas: sic è contrario DEUM ejusque opera nescire, summa est miseria. Et haec si ita se habent, nemo forsàn dubitabit internae servorum felicitati multum derogari, si extrinsecus negotiis nimium obruantur, ingentibusque laboribus penitus enerventur.

§. XI.

§. XI.

Eadem & reliquorum hominum in quocunque statu degant, est conditio. Mercatoris felicitas multorum externorum malorum interventu crebro patitur jacturam, cum commercia comminuuntur, merces sociorum fraudibus rapiuntur, tunc facile fieri potest, ut illius mens ex harum jactura magnos capiat dolores. Opificis felicitas turbatur, si opificium labefactatur, & paupertas aut id genus alia mala ei obstant, quo minus laboris & sudoris sui ferat fructus, finemque suum exoptatum consequatur.

§. XII.

Nec est cur quis mihi hic objiciat, nonnullos interdum amissione bonorum, afflictione & tribulatione factos esse feliciores, loquor enim non de eo, quod paucis, sed quod plerisque obtingit. Equidem lubens fateor, extitisse quosdam, in quibus primum sibi merito vindicant locum martyres, qui pacem, opes, dignitates & alia, quæ felicitatem internam alioquin adjuvant, neglexerunt, horumque contentu felicitatem suam accumulaverunt & ingentem in modum auxerunt: me tamen quoque nequaquam latet, quod paucorum ea sit fortitudo, ut lubentes volentes sustinere possint istas calamitates. Quare statuo hominem quidem sine felicitate externa, sine pace, opibus, dignitatibus & istiusmodi aliis bonis externis intrinsece posse esse felicem; in ea tamen versor opinione, perfectiorem ejus fore felicitatem internam, si his bonis tanquam præditiis ad beatitudinem veram esset munitus. Cum vero Politica id agat, ut homo quoad externa sit felix, internam ejus felicitatem magis reddit perfectam, ut inde satis clare pate-

C

scat,

scat, quam arte inter se invicem cohaereant Ethica & Politica.

§. XIII.

Sed ulterius se extendit nexus harum disciplinarum, quandoquidem nullus dubito asserere, Politicam, si ab Ethica separetur, esse nullam. Præter id enim quod jam dudum Ciceroni est evictum recentioribusque philosophiæ Moralis peritis comprobatum, nullam nempe actionem esse utilem, nisi simul sit, honesta, (u) accedit, quod Politica in Ethica adeo est fundata, ut vere dici possit, nullum unquam verum extitisse Politicum, qui non simul fuerit vir bonus.

§. XIV.

Per Politicum autem non intelligo talem ut vulgo perperam audit, qui morum urbanitate & cultu præ aliis eminet, hic enim hominis quidem politi, minime vero Politici nomen meretur; (*) nec talem, qui se in omnes formas privati commodi causa commutat, novas res molitur, consilia sua in gratiam hominum inflectit, illorumque favorem assentaciunculis suis aucupatur, & ut uno verbo exprimam, cuilibet auro ventoque pallium obvertit: sed talem, qui de rebus, quæ aliquid faciunt ad rempublicam bene administrandam & conservandam prudenter scit ratiocinari, & cum hominibus tum superioribus, tum inferioribus ita conversari, ut ex illorum conversatione nullum ad rempublicam redundet detrimentum, & sic omnia revocat ad reipublicæ salutem.

§. XV.

(u) Vid. hb. 2. cap. III. de officiis p. m. 150. seq. imprimis involvatur aureus ille liber, Præceptoris nostri summe Venerandi Dn. FÖRTSCHII commentatio in Divi Ambrosii officia p. 301. seq. ubi hæc solidissime sunt demonstrata & deducta,

(*) Conf. Conringius Tract. de Prudentia Civili Cap. I. p. 33.

Hic itaque cum circa negotia civilia versetur, ante omnia debet esse instructus prudentia. Nam qui in republica est occupatus, sive eam primum instituat, sive corrigat, sive conserve, prudentia habet opus, ad quam omnes suas actiones componat. Verum quo quis prudenter in singulis suis actionibus procedat, ex Ethica probe habeat perspectum necessum est, quid sit prudentia & quæ ad eam requirantur. Absolvitur autem ea quatuor veluti partibus, *attentione, circumspectione, providentia & discretione.* (y) Primum ad Prudentiam requiritur *attentio, quæ veluti pars est prudentia, quæ vir prudens semper ad regulam vitæ, voluntatem scilicet Divinam, itemque ad facta præterita attendit, observando, quo successu hoc vel illud fuerit susceptum, & denique ad vires suas, ne onus subeat, cui ferendo non par sit.* Hoc requisito prudens politicus carere non potest, ei enim incumbit, ut in rebus civilibus administrandis singula diligenter expendat, quæ ad statum suum rite conservandum & rempublicam bene gerendam, & ita verum reipublicæ usum aliquid conferant. Hinc ab ipso exigitur, ut nihil quicquam civitatibus suadeat, nisi quæ sunt honesta & contra eis omnia dissiuadeat, quæ sunt turpia, firmiter persuasus, quod turpibus facinoribus respublica potius diruatur, quam teneatur, atque sic pro scopo consiliorum suorum habeat rationem status & salutem publicam summam iudicet legem, oportet. Secus qui facit, non magis illo ipso agit Politicum, quam Medicinam professus Medicum se præbet, dum pro phar-

C 2

maco

(y) Vid. Præceptoris nostri summe venerandi Buddei Elem. Philos. Pract. part. I. p. 153.

maco miscet toxicum, ut hoc simili cum Conringio olim
Celeberrimo utar. (z)

§. XVI.

Porro ad prudentiam requiritur *circumspectio*, qua
quis in omnibus suis actionibus omnium circumstantiarum
habet rationem, ne ex earum neglectu aliquid admittatur,
quod Divina repugnet voluntati. Hac circumspectione
Politicus omnium maxime opus habet, quippe qui in
suis actionibus ad omnes & vel minutissimas respicere
debet circumstantias, si eas prudenter peragere velit,
quandoquidem ex una circumstantia male perpenfa aut
prorsus neglecta toti alicui reipublicæ ingens accedere
potest damnum. Sape enim honestas rerum causas [ut
loquitur Ottho ille apud Tacitum (aa)] ni iudicium adhi-
beas, perniciosi exitus consequuntur. Quo pertinet & il-
lud Ciceronis de Catone : [bb] Cato optimo animo utens
& summa fide nocet interdum reipublicæ; dicit enim tan-
quam in Platonis politicæ, non tanquam in Romuli fece-
sententiam.

§. XVII.

Deinde ad prudentiam requiritur *providentia*,
qua quis actionum suarum eventum & que ex illis tum
sibi, tum aliis futura sint, prospicit. Hanc virtutem ut
Politicus optime calleat, summa necessitas jubet. Apud
omnes namque manifestum est, quod is, qui res ad
republicam pertinentes prudenter agere velit, ea quoq;
prudentia præditus esse debeat, ut de exitu alicujus actio-
nis prudens ferre possit iudicium. Cicero hic omnibus
Poli-

(z) Tract. cit. cap. 2. p. 17.

(aa) I. Hist. Cap. 83.

(bb) ad Atticum lib. II. ep. 1.

Politici potest esse exemplo, qui dicitur non solum ea
 prædixisse, quæ vivo se acciderunt, sed & ea, quæ post
 mortem ejus evenerunt. (cc) Nec minus Themistocles
 quem Thucydides (dd) laudat, quod fuerit τῶν μετὰ τὸν αὐτὸν
 ἐπιπλεῖσιν ἔγνωσμένον ἀριστὸς ἰστορίας, i. e. futurarum ac e-
 ventus ipsarum plerumq; optimus conjector. Quo elo-
 gio eum quoque Cornelius Nepos decorat, quum verbis
 paulo commutatis scribit: (ce) Themistocles celeriter
 quæ opus erant, reperiebat. Neque minus in rebus ge-
 rendis promtus, quam excogitandis erat: quod & de in-
 stantibus verissime judicabat, & de futuris callidissime
 conjiciebat. Quæ cum ita sint, Politicus tenetur consi-
 derare præterita, examinare præsentia & ex his judica-
 re de futuris.

§. XVIII

Ultimum ad prudentiam requiritur discretio, quæ quis
 bona à malis accurate distinguit, cæciam, quæ speciem sal-
 tem boni præ se ferunt, scrutatur, aliorumq; malitiam de-
 tegit. Si quid Politico scitu est necessarium, profecto hoc
 est, nosse bonū à malo secernere. Res civiles sæpe ita sunt
 comparatæ, ut in consiliis dandis sub specie boni se & ali-
 os fallere possit, si nondum ex moralibus est edoctus, quid
 sit vere bonum & quid vere malum, & sic discrimen
 boni, & mali nondum satis habet cognitum. Quocir-
 ca à Politico poscitur, ut varias fraudum & scelerum vias
 exacte calleat, non quidem ut illas laudet & in nume-
 ro bonarum artium sub prætextu rationis status, aut pu-
 blici emolumentum collocet, sed ut eo melius alios ab istis
 C 3 dehor-

(cc) Vid. Corn. Nepos in Attico c. XVI. n. 4. p. m. 302. qui
 rectè existimat, prudentiam quodammodo esse divinationem.

(dd) lib. I. de bello Peloponnesiaco p. 91. edit. Stephani.

(ce) In vita ejus cap. I. p. m. 21. 22.

dehortari valeat, ut ab illis scilicet sibi caveant, non secus
ac Medicus, qui venenorum omnem naturam pernoſcit,
non ut cuiſiam noceat, ſed ut caveat, aut jam adhibita
percuret, ut iterum loquitur Conringius. (ff) Quod etiam
affirmat Claſenius quando ſcribit: (gg) Qui Politicam in-
telligit & qua prudentia virum civilem inſtructum eſſe de-
ceat, cognovit, utique diſſiteri non poteſt, laudi interdum
duci Politico, ſi dextre calliditate uti ſciat, non quo alios
decipiat fraudulenter, ſed quo ſibi ſuaque reipublicæ con-
tra aliorum machinationes proſpiciat. Quod vero iſta
civilis prudentia interdum aliis noceatur, id præter inten-
tionem fit, cum Politico propoſitum ſaltem fuerit, curam
ſtatus ſui habere.

§. XIX.

Quoniam vero & Politico eſt cum inæqualis for-
tis conditionis que hominibus, cum ſuperioribus & in-
ferioribus converſari, prudenter haud ſe geret, niſi ars
aliorum noſcendi animos ipſi probe ſit perſpecta. Sine
hac ſane nil quicquam lucrabitur, ſed potius ſibi toti-
que reipublicæ non exiguum ſæpius contrahet damnum.
Uti enim ex omnibus rebus bonis aliquid mali oriri faci-
le poteſt, ſi quis iis male utitur, ita quoque aliquis ſe ali-
osque in ſummum præcipitare poteſt periculum, ſi minus
recte in converſatione hominum ſe gerat. Converſatio
quidem prudenter inſtituta multis egregio fuit admini-
culo ſtatum ſuum ornandi & augendi, quippe qua mul-
tiab humili ordine ad ſuperiorem gradum ſunt promoti;
minus tamen prudenter ſuſcepta haud paucis quoque
ceſſit perniciæ. Nam quemadmodum is, qui abſque
omni

(ff) Tr. cit. c. V. p. 72.

(gg) Libro de Religione Politica c. IV, n. 7. p. 52.

omni discrimine cum omnibus cujuscunque generis hominibus eodem modo versatur, nullo habito respectu utram sint pii vel impii, ex consuetudine impiorum de facili reddi potest deterior, eum enim egregie bonum esse oportet, qui inter malos bonus perseverat: ita quoque is, qui in conversatione sese ad diversa hominum temperamenta accommodare nequit, nec ad illorum propensiones attendit, omnium in se concitabit odium, aut saltem id non impetrabit, quod alii impetrant, qui hominum quibuscum vivunt, affectus & temperamenta optime norunt eisque inserviunt. Priorem assertionem confirmant verba regum sapientissimi Salomonis dicentis: (hh) *qui ambulat cum sapientibus, sapientior fiet, qui vero se consociat stolidis efficietur pejor.* In quem modum fere Seneca quoque scribit: (ii) *Nulla res magis animis induit honesta, dubiosque & in pravum incli- nantes revocat ad rectum, quam bonorum virorum con- versatio. paulatim enim descendit in pectora & vim pre- ceptorum obtinet, frequenter audiri, aspici frequenter.*

§. XX.

Nec minus sua radiat luce posterior assertio, qua dixi, hominem, qui se in conversatione nesciat accom- modare ad diversa hominum temperamenta, nec ipso- rum teneat propensiones, in omnium facile incurrere posse odium, vel saltem id non impetrare, quod alii impetrent, qui hanc didicerint artem. Nam aliter pro- fusus est conversandum cum cholericis, aliter cum sangui- neo, aliter cum phlegmatico, aliter cum melancholico. Cuilibet enim pro diverso suo temperamento diversi
sunt

(hh) Proverb. 13. v. 20.

(ii) Epist. XCIV.

sunt mores, ut ex doctrina Morali satis constat, (kk) quos si Politicus non rite observat, quemlibet sapissime offendet & pro favore iram, pro amore odium reportabit. Tota res ei haud erit obscura qui modo perpendit, exempla ubi vis obvia. Si quis v. c. cum homine versatur, qui morum est valde difficultium, hoc est, jugi asperitate commovetur, quando non ita ad unguem & ex animi sui sententia agitur, quod postulat, adeo ut vel unico verbo graviter exacerbari possit, is naturæ ejus admodum difficili multum indulgere sibi que omni nisu debet cavere, ne eum offendant, si illum consuetudine satis opportune vult habere implicatum ejusque non excidere favore, ut inde satis clare elucescat, quantum inter sit Politici, ut in alterius prius inquirat temperamentum & mores ex temperamento resultantes, quam illius petat conversationem.

§. XXI.

Necessario autem Politico injungitur, ut hominum, quibuscum vivit passiones dominantes seu propensiones accurate exploret, quas si probe sciat, negotio multo faciliori eorum animos flectere ad suamque voluntatem pertrahere poterit, quam alias fieret, si eas ignoraret; quin imo omnis illius opera quam adhibet animis hominum occupandis interdum plane erit frustranea, si non ante omnia istorum propensiones exquisite fuerit scrutatus. Huc enim ea spectant, quæ celeberrimus Thomasius habet, (ll) cum dicit: So gewiß und in der Natur wohl gegründet diese Wissenschaft ist/

(kk) Conf. Præceptor noster Summe Venerandus Buddeus lib. sapius citato part. I. Sect. III. §. IX X. seq. p. m. 66. 67. 69. 99.

(ll) In kleinen Schriften num. X. p. 468.

ist / so nützlich und nothwendig ist dieselbe auch dem menschlichen Geschlechte / so gar / daß ein Mensch ohne dieselbige unmöglich in der Welt fortkommen kan. Quam in rem elegantissime quoq; scribit Feldenus, quum dicit: (mm) quemadmodum Medici in singulas partes corporis humani, & quarum operationum organa sint, subtiliter inquirunt, quo naturam cujusq; morbi exacte speculari & singulis morbis occurrere possint: ita quoque decet Politicum singulas animæ facultates probe perpendere, quo de morbis animæ, vitiis nimirum & horum causis eo rectius judicare possit. Idq; eo majori diligentia faciendum, quo anima corpori præstat.

§. XXII.

Proinde hoc probe tenendum, quod argumenta, quibus aliquem ad nostras partes trahere cupimus, cujuslibet temperamenti, & propensionis rationem habere debeant. Ponamus quæso ministrum aulicum, qui principi suo aliquid persuadere conatur, huic certe non sufficit argumenta attulisse generalia, quæ in quavis occasione apud unumquemque stimulum quendam excitatione queant, sed ei incumbit, ut talia producat, quæ principis temperamento & propensioni, ad quam inclinatus, sunt adaptata. Aliis profecto argumentis ad aliquam rem agendam aut omittendam persuaderi debet princeps, si propensus est ad voluptatem, aliis, si eum ceperit ambitio, aliis quoque si inclinatus ad avaritiam: quod vero cum non nisi ex Ethica addiscatur, luculenter inde apparet Politicam absque Ethica non posse consistere.

§. XXIII.

Cum primis autem necessitas urget, ut Politicus

D

mores

(mm) Elem. Jur. Part. 2. c. 3. n. 1. conf. hic Aristoteles lib. 1. Nicomachiorum c. 13. v. 7. 8. 9.

mores & propensiones hominum accurate habeat exploratas, si quos eligit qui ei inserviant ejusque res procurant, alias plerumque suo experietur damno, se tales legisse, qui ad finem suum minus sunt apti. *Vix enim (nn) est, ut quis hic rite se gerat, nisi mores propensionesque hominum explorare accurate didicerit.*

§. XXIV.

Hæc vero quæ dicta sunt generatim, ad principes speciatim spectare, inde liquet, quia his, si status sui rationem rite sunt observaturi, sedulo dispiciendum est, quæ cujuslibet ministrorum suorum indoles, temperamentum & propensio sit, quo deinceps unumquemque tali præficiat provinciæ, ad quam administrandam per suam naturam est idoneus. Quæ de re non minus erudite quam eleganter disserit Celeberrimus Thomæsius, quum ita libro antea laudato (oo) pergat: Selbst die höchste Schule der Hoff muß sie (puta artem aliorum hominum noscendi animos) für eines von seinen besten Kleinodien halten. Denn wie wolte ein Regente/der von allen seinen Unterthanen geliebfoset wird/einen Unterscheid zwischen getreuen und interessirten Ministris machen können/wenn er diese Wissenschaft nicht besässe. Laudi hinc maximæ ab historicis ducitur Regina Angliæ Elisabethæ, quod simul ut cum aliquo sit conservata, statim observaverit, ad quod officium adhiberi queat.

§. XXV.

Id imprimis Principibus observari debet, cum legatos ad alios principes mittunt, ne tales forte ablegent, qui legationis munere imprudenter funguntur. Probe ergo ipsis attendendum, quibus hanc demandent spartam, & ante inquirendum, num illorum indoles indoli gentis istius

& au-

(nn) Verba sunt Præceptoris nostri summe Rev. l.cit, part. III. p.m. 478.

(oo) Loco citato.

& aulae, ad quam isti mittuntur bene respondeat, alias enim illi genti aut ejus ministris vel sola conversatione se reddere possunt odiosos & principibus suis totis que rebus publicis præter opinionem inferre damnum.

§. XXVI.

A Principibus descendendo ad inferioris quidem dignitatis homines, publica tamen officia administrantes. Nam & hi diligenter expendere debent, ne talibus hominibus negotia sua committant, qui ipsis nocere valeant; hinc insignis illa prudentia qua in explorandis hominum animis usus est Cardinalis Richelieu laudibus passim prædicatur, (pp) quod scilicet nullum habuerit in illis, qui ei à servitiis fuerunt, cujus naturam non prius exquisite cognoverit, quam eum in numerum suorum reciperet, optime reputans secum, ei, qui in rebus publicis sit occupatus sollicitè esse cavendum, ne ipsi sint à manu, qui arcana ejus expiscentur & palam proferant. Ideo quoque nemo forte, nisi prudentiæ politicæ imperitus Cardinalem alicuius incusabit imprudentiæ, quod aliquando quandam, qui ei ad serviendum offerebatur tam dure habuerit, ut eum ob nudam litterarum in menta collocatarum apertionem graviter culpaverit eumque à se statim dimiserit. Nimia quippe fervorum curiositas plerumque nocet iis, quibus inserviunt quod pluribus deducere possem, nisi res adeo esset manifesta & comperta, ut nulla prorsus indigeat probatione.

§. XXVII.

His ita se habentibus unum saltem adhuc adjiciam, neminem in explorandis hominum animis felices experturum esse progressus, nisi prius seipsum, quam alios noscere didicerit. Nam qui se ipsum nondum novit, quomodo quæso alios rite noscere poterit? Qui suas nondum tenet propensiones, quomodo alio-

D 2

rum

(pp) Conf. & hic sapius, laudatus Thomastus libro cit. pag.

rum accurate explorabit? Verbo, qui suam nescit indolem, aliorum difficulter indagabit. Nescit enim characteres, quibus hominum animi sese produnt. Et impossibile ferme est, ut quis se in commerciis hominum prudenter gerat, nec aliis sit molestus, qui sui cognitionem ex assè non habet perspectam, ipsius namque mores cum aliorum moribus nunquam bene conveniunt. Accedit quod homo propensionum suarum ignarus ad tale vitæ genus sæpius se applicet, ad quod non est natus, talemque statum deligat, qui ei pro emolumento, quod inde sperat, affert damnum, qui scilicet affectum ejus dominantem potius irritat, quam ei freum injiciat. Status quidem omnis in se nec sacer nec profanus est; respectu tamen objectorum unus præ altero sacer appellari potest. Quo minus inquam objecta alicujus status pravas hominum irritant cupiditates, eo sanctior est habitus, ex adverso, quo magis cujusdam status objecta eas irritant, eò magis iste est censendus profanus.

§. XXVIII.

Consequitur itaque ut quis seipsum bene noscat & sciat cui statui ineundo sit idoneus. *In hac enim deliberatione, inquit Cicero, [qq] ad suam cujusque naturam consilium est omne revocandum. Nam cum in omnibus, que aguntur ex eo modo, quo quisque natus est, quid deceat, exquirimus; tum in tota vita constituenda multo est ejus rei cura major adhibenda, ut constare in vita perpetuitate possimus nobismet ipsis, nec in ullo officio claudicare.* Equidem non negandum, quemlibet statum saluberrime esse constitutum & optimo consilio introductum, interim tamen nondum sequitur, quod non quilibet huic l. isti cedere possit damno, qui minus caute circa hunc vel illum statum versatur. Atque hæc cum sint in confesso, optime Politicus suæ salutis prospiciet, si animo usque perpenderit si-bique semper ob oculos ponat: NOSCE TEIPSUM, NOSCE ALIOS.

S. D. G.

(qq) De Officiis lib. I. cap. XXXII. pag. m. 103.

Corollaria.

Sanguineus non statim est voluptuosus.
Cholericus non statim est ambitiosus.
Phlegmaticus non statim est animo pigro.
Melancholicus non statim est avarus.

F I N I S,

Ji 2149

ULB Halle 3
002 410 087




sb.

Vs 18

VONA







DISSERTATIO POLITICO-MORALIS,
DE

NECESSARIO
ETHICES & PO-
LITICES NEXU,

Quam
SUPREMI NUMINIS AUSPICIO,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

DOMINO
GVILIELMO HENRICO,
DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUM,
ANGARIÆ WESTPHALIÆQUE
& RELIQVA,

Inclyti Ordinis Philoſophici Conſenſu
IN ALMA SALANA

Publico Eruditorum Examine ſubmittet

PRÆSES

M. GEORGIUS WEINMANNUS,
CERVIMONTANO-SIL.
RESPONDENTE

JOHANNES CHRISTOPHORO WILCKIO,
Philoſophiæ & SS, Theologiæ Studioſo,
Hilperſuſia-Franco,
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO
Ad diem Januarij,
Horis ante meridiem conſuetis.

ERFORDIÆ Anno à Rep. Sal. MDCCVI.
Proſtat apud CHRISTIANUM WEINMANNUM,

21

